

IOANNIS PLANERII
QVINTIANI BRIXIENSIS
PHILOSOPHIAE, ET
MEDICINAE DOCTORIS.

*Tractatus brevis de Comete à duodecima die Nouembris 1577.
per duos menses mortalibus omnibus apparente.**

CAP. I.

Ad Illustriss(imum). & Reuerendissimum Ioannem Matthæum
Aueroldum, Iureconsultum, & S(ancti). Nazarij Brixiaë
Præfectum meritissimum.

COMETARVM¹ omnium causæ duæ in Meteoris ab Aristotele assignantur: quarum altera materialis, altera efficiens dicitur: materialis quidem causa, fumus est terrestris, qui exhalatio pinguis, uiscosa, calida, & sicca dicitur: qui fumus cùm in magna quantitate ex terra superioribus agentibus, Sole præsertim, eleuatur, & mediam regionem aeris penetrat: & ad supremum eius, aut in ignis regionem deuenit, in parte superiori accenditur: flamma sic ardens Cometes appellatur: Quoniam uerò harum rerum omnium, philosophorum libri (quos Meteorologicos uocant) pleni sunt: ideo ad causam efficientem secundum Astronomos propius accedamus.

Albumasar octauo de coniunctionibus magnis, differentia prima sic inquit;

« Aduentus stellarum habentium comas non scitur, nisi ex dominio Martis in annis coniunctionalibus, seu alijs, & præsertim quando radij eius in terreis signis sunt, aut aereis: præcipue si Luna in aereis infortunata fuerit. »

Item Aly Abenragel libro octauo capite primo.

« Cùm in annis coniunctionum, aut reuolutionum fuerit Mars dominans in signo aereo damnans Lunam in simili, siue terreo, præcipue dum fuerit Almutan decimæ domus stellas comatas adducet. »

Item Georgius Purbachius ex obseruatione sua de alio Comete anni 1446. sic scripsit; [c. 15r]

« Sed anno superiori fuit coniunctio Luminarium Martis, & Saturni simul in scorpione, cui dominabatur Mars: fuit quoque dominus reuolutionis totius præcedentis, i-

^{*} PLANERIO, Giovanni Quinziano, "Ioannis Planerii Quintiani Brixienensis Philosophiae et Medicinae doctoris, Tractatus brevis de Comete a duodecima die Nouembris 1577 per duos menses mortalibus omnibus apparente", in *Ioannis Planerii Quintiani Brixienensis Artium et Medicinae doctoris Varia Opuscula: Epistolae morales. Patriae descriptio in qua de animorum immortalitate. Henrici Regis ad Urbem Venetam aduentus. De Comete 1577. De Lacte*, Venetiis, apud Franciscum Zilettum, 1584, [fasc. II], cc. 14v-18r.

¹ [marg. sin.] «Quid sit Cometes».

stius quoque anni pro quadragesima prima in dominio cum Luna participat: & significatio reuolutionis istius fuit in aereo inficiens Lunam radijs suis quadratis in terreo, & in angulo terræ collocatam: & fuit Almutan decimæ domus. Similiter infiguratio eclipsis Lunæ particularis similia fuere testimonia: quibus omnibus manifestissima fuit, super Cometis generatione significatio. Patet etiam dictas constellationes huius Cometis causam fuisse efficientem. » Hæc Georgius Purbachius.

Ex quibus authoribus constat Cometas omnes non nisi à Marte, vel Saturno, ut à causa efficiente particulari, vel à Marte simul cum Saturno procreari: quoniam enim Mars, & Saturnus mali Planetæ sunt, non minim, si Cometas malos, & effectus malos producant: & ob id Cometæ rarius eueniunt. Ex his etiam colligitur: cur Cometæ omnes nunquam bonum, sed malam semper portendant? quoniam à solis malis Planetis producuntur: cum enim Cometæ mali sint, mala etiam omnibus sublunaribus, præcipue humano generi minantur.

Propter quod unumquodque tale & illud magis tale, dicebat Aristoteles in primo Posteriorum.

« Si enim Cometæ mali sunt, propter malos Planetas, ergo Planetæ magis mali: cum enim septem sint Planetæ, quatuor boni, & beneuoli, scilicet Iupiter, Sol, Venus, Luna, duo mali, & maleuoli, Mars, & Saturnus: Mercurius uerò metdius inter bonos & malos, cum bonis Planetis bonus & beneuolus, quoniam eorum bonitatem adauget: cum malis uerò Planetis, malus & maleuolus, quoniam eorum malitiam maiorem facit. Hactenus de Planetis, vt de causa efficiente particulari. Sol enim causa est efficiens uniuersalis: nunc de Cometarum differentijs agendum.

C A P . II .

COMETARVM omnium differentia nouem à Ptolomæo constituuntur: quatuor enim dixit sine comis, & caudis esse: licet comis circumquaque aliqui ex illis omnino non careant: hi propriè ab Aristotele Cometæ, ab Haly auem Domini capillorum nuncupantur: quinque uerò dixit Ptolomæus cum caudis apparere: hos Aristoteles Pagomas uocat: Haly autem Dominos Tricæ: Tres ex caudatis breues dicuntur habere caudas, reliqui duo longas: quorum vnus Dominus Ascone, alter Matuta ab Arabibus dicitur: Cum autem præsens Cometa satis protensam habuerit caudam, oportet, vt vnus ex illis duabus [c. 15v] nuncupetur: sed Dominus Asconæ ex complexione Mercurij, cerulei coloris, paruus, & caudam nimis longam habere refertur: Matuta autem rubei coloris cum longa cauda, minori tamen quàm superior, & ex complexione Martis ipsum dicunt; Cum igitur tam color, quàm figura Cometis, qui nunc apparuit, magis Matutæ, quàm Domino Asconæ conueniat: ideo ipsum Matutam appellauimus; magis itaque natura sua Martiali naturæ, quàm alicui alteri erraticæ conformis est: quod etiam locus cæli, sub quo inflammari cœpit, attestatur: Dicit etiam Georgius Purbachius de illo Comete, qui tempore suo apparuit, quòd ea nocte, qua primo accensus fuit, Mars in tertio gradu Tauri locabatur: sic Mars, & Cometes in prima Tauri facie uidebantur esse coniuncti. Hæc doctissimis Astronomis, quia Astronomus ego non sum, pertractanda relinquo.

Hactenus de Cometarum differentijs, nunc de eorutn significationibus agendum.

C A P . III .

« EST autem Cometarum significatio, & ipsa duplex, uniuersalis scilicet, & particularis, uniuersalem quidem in quadripartito Ptholomeus dixit esse, Prælia, combustiones, & res uehementes, & festinos motus, ut latrocinia, deprædationes, captiuitates, mortes subitaneas, febres acutas, & similia. »

Virgilius quoque in primo Georgicorum in fine sic cecinit.

« Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno

Fulgura: nec diri toties arsere Cometæ. »

Idem in decimo Aeneidos in quadam comparatione sic cecinit.

« Non secus ac liquida si quando nocte Cometæ

Sanguinei lugubre rubent. »

Ibi enim sanguinis effusionem intelligit: & luctum mortalitatis ostendit: Claudianus etiam sic cecinit;

« Et nunquam cælo spectatum impune Cometem. »

Et paulo post.

« Prepes sanguineo delabitur igne Cometes,

Prodigiale rubens, non illum nauita cautus,

Non impunè uident urbes, sed crine rubenti

Nuntiat aut ratibus uentos, aut urbibus hostes. »

Lucanus etiam regnorum mutationem Cometes innuit significare, cum dixit;

« Ignota obscuræ uiderunt sydera noctes: [c. 16r]

Ardentemque polum flammis, cæloque uolantes

Obliquas per inane faces, crinemque uerendi

Syderis, & terris rnutantem regna Cometem. »

Quibus omnibus dicta Ptholomæi in ultimis centiloquij uerbis concordare uidentur, ubi dicit, quòd significant uapores siccos, diminutiones aquarum, turbationem aeris, legum, & Regnorum mutationem, exerciturn de longinquo uenientem, alienaque Regna inuadentem.

Alia autem significatio magis particularis est, quæ ex cæli loco sub quo primum Cometes accenditur, & ex natura stellarum, & Planetarum Cometem generantium, & ex habitudine eius ad Solem accipitur. De hac primo habemus Ptholomæum dicentem:

« Cum Cometes, qui Matuta dicitur, apparuerit: paucitatem significabit aquarum, famem ingentem, ignis combustionem, & bella, & cadent in hominibus ægrotudines siccæ, eritque magna mors boum, & quadrupedum, & plures homines comburentur, & deficient arbores, & sementa, dolores uarij ex nimia siccitate prouenientes, & quædam pars terræ depopulabitur: terræ motus accidet, frigus uehemens cum corruptione messium, casus fructuum arborum, paucitas culturæ, & plantationum in terra, defectus etiam in mineris erit: Quidam etiam magni nominis Princeps aut morietur, aut detrimenta maxima patietur. » Hæc Ptholomæus, ita referente Purbachio.

Plinij verba libiro 2. historiae naturalis, *capite*. 25. haec sunt.

« Cometes Graeci uocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, & Comarum modo in uertice hispidas, lampades ardentes imitantur faces: breuissimi quo cernerentur spatium, septem dierum adnotatum est, longissimum actoginta: terrificum magna ex parte sydus, ac non leuiter piatum, ut ciuili motu Octauio Consule, iterumque Pompei, & Caesaris bello: his ipsis ludorum meorum diebus sydus crinitum per septem dies in regione caeli, quae sub Septentrionibus est conspectum, id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit, eo sydere significari uulgus credidit Caesaris animam inter Deorum immortalium numina receptam. »

Haec Plinius.

Vt² mirari fortasse Pinio liceat, quod Cometarum prodigia solum expresserit: de causis autem Cometas producentibus, & quid Cometae sint, ne minimum quidem uerbum fecerit: homo tantum ad scribendum, & ad scripta antiquorum euoluendum, & transcribendum natus: naturalium³ autem rerum causas, & earum essentias, uel nihil, uel parum attigit: Vir alioqui magnus, & memorabilis. Sed hoc altioris philosophiae, & astronomiae munus. [c. 16v]

Marcus Tullius quoque in secundo de natura Deorum ait stellas quas Graeci Κομήτας, nostri crinitas uocant, magnarum fuisse calamitatum praenuntians, quae bello Octauiano fuerunt. Sed quid ago? cur philosophorum Principem ab inferis non excito? Si quis igitur materiam hanc de Cometis diffusius uidere uoluerit, adeat Aristotelem & doctissimos eius interpretes in prima Meteorologicorum, neque enim hic recensere constituimus: Satis est sitientibus fontem demonstrasse.

C A P . I I I I .

NON alienum ab instituta serie fuerit, si conterranei mei Ioannis Francisci Quintiani Stoae, Poetae, & Oratoris clarissimi exempla in medium attulerimus; is igitur libro suo mirandorum de Cometis agens, sic scriptum reliquit.

« Nunquam Cometem uideri maiores nostri autumarunt, quin Principis alicuius facto minaretur: hoc Commodus Imperator expertus est: in cuius morte crinita stella longo flammaram tramite emicuit.

« Simile prodigium fuit Claudij Caesaris Principatu, cuius supremi fati crinitus Cometes diu noctuque ardenti fulgore uisus signum tremendum praebuit.

« Diutius Cometes ille apparuit, qui Constantini III. Imperatoris aeuum tribus mensibus emicans sollicitauit.

« Praecedenti minus subsequens eluxit; Henrico siquidem III imperante, stella ingentis magnitudinis 25. diebus semper emicuit: nec unquam auxit lumen, aut diminuit.

« Urbani IIII. Pontificis Maximi interitus per stellam deficientem sciri potuit: cum ea nocte qua decessit, Cometes quidam uideri desijt; qui semper tribus mensibus ante insigni magnitudine apparuit.

² [marg. ds.] «Digressio».

³ [marg. ds.] «In naturalibus Plinii. defectuosus.»

« Quo die Pertinax nomine Imperator mortuus est, stellæ iuxta Solem uisæ: alij autem dicunt id accidisse eo die antequàm obiret.

« Clarior & Cometes fuit ille Romanis in actis perscriptus, cuius tantum fuit splendor, ut solares radij tam obfuscarentur, quàm Sole admoto Lunaris globus proprium nitorem amittit.

« Humani generis hostis Nero in sui Principatus initio crinitam stellam sex mensibus perenni lumine enituisse uidere potuit.

« Mirabilior Cometes ille fuit ijs, qui Friderici III. Imperia conspexerunt: huius nanque inusitata immensitas fuit, coloris ignei, ac rutilantis, crinibus longissimis atrisque figura latior: & hæc lxxx. diebus oculis mortalium obuersata fuit. [c. 17r]

« Quòd Cometæ malum portendant, exemplo sunt Helice, & Burcha, quæ antequam absorberentur, admonitæ sunt ob Cometem ingentissimum, qui diu super vrbes astitit.

« Hierosolymitana clades prodigijs prænotata fuit, quibus Iudæi non solum absterere debuerant, sed etiam adamantina duritie exui: eo nanque anno quo Hierosolymitana vrbs à Tito Vespasiano deleta est, sydus ingens, gladij figura, vrbi imminere uisum est.

« Stellarum faces multoties uisæ non minimum metum spectantibus incusserunt: simile exemplum Romæ fuit, quod non multo antequam Cibeles Romam ueheretur, apparuit: fax siquidem stellæ septies ab ortu Solis ad occasum porrigi conspecta est. »

Hactenus Quintianus Stoa.

C A P . V .

ILLVD omnino non prætereundum, quod Seneca de duobus Cometis tempore suo apparentibus memoriæ prodidit: quorum alter immensæ magnitudinis, ut Sol, extitit: alter sex mensibus perdurauit: Senecæ uerba de Cometiasagens hæc sunt.

« Paulo ante Achaium bellum Cometes effulsit: non minor Sole: primo igneus, ac rutilans orbis suis: clarumque lumen emittens quanto uinceret noctem, deinde paulatim magnitudo eius districta est: & euanuit claritas: nouissimè autem totus intercidit. »

Et paulo post.

« QVARE ergo per longum tempus apparent, & non cito extinguuntur? Sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lætissimo uidimus, spectandum se præbuit: indiuersum illi Claudiano circumactus. »

Hæc Seneca.

Mirum⁴ quomodo sub Nerone omnium mortaliuim immanissimo eius principatus subditis lætissimus fuerit? Propterea non desunt, qui scribant, Senecam hic Neroni adulari: O miserum te Seneca: Neronis principatus non lætissimus, sed mæstissimus,

⁴ [marg. ds.] «Digressio».

☞ funestissimus tibi futurus est. Vide candide Lector quàm uariabiles, inconstantes, ☞ mutabiles res humanæ sint. Satis enint constat Senecam Neroni prius charissimum, familiarissimumque fuisse: fuit .n. Consul, ac Senator, ☞ Neronis præceptor, ☞ diu apud eum potentissimus: ita ut quandiu Nero pietatem simulauit, ☞ optimi Principis officio fungi uisus, nihil sine consilio Senecæ ab Imperatore transigeretur: mox mutata fortuna iussu Neronis interfectus.

« Tolluntur in altum:⁵

Vt lapsu grauior ruant. »

Seneca igitur, senio iam, ☞ ætate confectus: Neronis postea crudelitates, stupra, incestus, ☞ adulteria ægre ferens: ab Vrbe Roma in Nomentatum uillam suam recesserat. Tunc Sillanus Prætoriae cohortis Tribunus à Nerone ad Senecam missus, circumsepta prius satellitibus Senecæ domo, mandata Neronis Principis ei exponit; scilicet, ut uel mortem sibi consciscat, uel aliquod aliud genus mortis sibi constituat. Tum Seneca constanti uultu ☞ animo id se facturum pollicetur: atque ita in præparato prius aquæ calidæ balneo brachiorum,⁶ ☞ crurum uenas astantibus secandas præbuit: effundente autem se in balneo multo sanguine ad amicos astantes conuersus, eos hortatus est, ut uirtutum, ☞ laudabilium artium sibi famam compararent: Hoc esse uitæ suæ peractæ simulacrum: Et tempus illud iam uenisse aiebat, quo illa sanxtissimæ philosophiæ suæ præcepta iam non disputando, sed fortiter ferendo, ☞ faciendo comprobaret. Appropinquantem autem mortem cùm sentiret, sumpta manibus proprijs in balneo aqua sanguine mixta, ipsam super se respersit: hunc liquorem, inquit, sanguine ☞ aqua mixtum tibi Deo liberatori consecro: his dictis, animam effluit. Vir probitate, ☞ uitæ integritate in sua secta insignis. Quot luctus? quot lachrimæ ab uxore Paulina, ☞ ab abstantibus amicis sunt effusæ? uixit annos 114. Placet autem Epitaphium in balneo, debili ☞ moribunda uoce à se editum subscribere, quod est

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores.

Ite: aliàs posthac sollicitate animas:

Me procul à uobis Deus euocat, illicet actis

Rebus terrenis: hospita terra uale:

Corpus auara tamen solemnibus accipe saxis:

Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.

Placet etiam Diui Hieronymi iudicium de Seneca subscribere. Hieronymi uerba in prologo super epistolis Diui Pauli ad Senecam, ☞ Senecæ ad Paulum, ☞ in libro de scriptoribus ecclesiasticis, ☞ in eius epistolis, hæc sunt.

Lucius Anneus Seneca Cordubensis patruus Lucani Poetæ: continentissimæ uitæ fuit, quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me illæ epistolæ prouocarent: quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, ☞ Senecæ ad Paulum: in quibus cùm esset Neronis magister, ☞ illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos: Hic [c. 18r] autem ante biennium quàm Petrus ☞

⁵ [marg. sin.] «Claudianæ sententia notanda.»

⁶ [marg. sin.] «Miserabilis interitus Senecæ deploratio.»

Paulus martirio coronarentur à Nerone interfectus est.

Hæc Diuus Hieronymus.

Hæc sunt candide lector, quæ de Comete à duodecima Nouembris 1577. per duos menses mortalibus omnibus apparente ex probatissimis scriptoribus collegimus: mala tamen, & calamitates, quas sydera ipsa quandoque nobis minantur, necessariò uenturæ non sunt: quandoquidem operationum nostrarum duplex à philosophis assignatur principium: natura scilicet & uoluntas: natura quidem syderum influxu regitur: uoluntas autem libera est: illa tamen sæpe ad naturæ motum inclinatur. Ea itaque quæ à libertate arbitrij nostri dependent, à nobis etiam aliter fieri possunt: propterea rectè dicebat ille: Sapiens dominabitur astris. Quæ uerò à sola natura ueniunt, à solo etiam rerum omnium conditore permutari solent. Cui sit laus, & benedictio per secula.